



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

5. Marini, Auicennæ, & Agazelis sententia; eiusque confutatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

teris aliquid inest synonymū. Non in quā ait, quod maxime est tale, causam ceteris esse, vt talia sint; sed contrā, quod est causa ceteris, vt sint talia, id maxime oportere esse tale: & ideo principia maxime vera esse debere, si veritatis conclusionis futura sint causa. Deinde, si Alexandro illam ipsam propositionem concesseris, Deum respondetis maxime intellectualem intellectibilitatis omnis causam esse; non formaliter, sed materialiter: non, inquam, quod intellectuales formas ipsas efficiat, per quas formaliter res materiales euadunt intellectuales; sed quod earum entitatem produxit, qua singulae sunt intellectuales; formaliter autem ab intellectu nostro & intellectuales sunt, & actu intelliguntur. Et ad Alexandrum quidem hæc fatiis: Quomodo enim hic intellectus dicitur omnia facere, illius substantia esse actio, & id genus alia; inter interpretandum cognoscetur.

5. *Marini, Auicennæ, & Algazelis sententia, eiusque confutatio.*

Marinus autem Philoponi testimonio consensit quidem cum Alexandro agentem intellectum animæ nostræ virtutē non esse: argumentis uidentur persuasus; quod intellectus noster non omnia faciat; nec per substantiam operetur; nec semper intelligat. Nequaquam tamen diuinum, sed dæmonicum potius aut angelicum esse constituit. Quæ enim dicuntur, cum phantasia illum operari, & obliuisci; diuino intellectui non conueniunt. Quod additur, luminis eum & habitui proportionem respondere; intellectum quempiam inter diuinum & humanum medium significat. Hic autem dæmonicus est, aut angelicus; inter illos medius, quemadmodum lumen inter id, quod illuminat, & quod illuminatur, medium existit; & habitu inter aptitudinem & promptam atque expeditam functionem.

Placet hoc capite Auicennæ quoque & Algazelis sententiam complecti. Ambo namque separatam intelligentiam agentem intellectum esse prodiderunt: pauloque planius, quàm Marinus, quomodo intellectuales ab ea formæ in intellectu nostro producantur, significarunt. Auicenna igitur, quemadmodum alibi de naturalium atque in rebus existentium formarū productione philosophatus fuerat, easque à separata quadam intelligentia, quam idcirco formarum datricem appellauit produci omnes in materia præparata posuerat: ita proflus de intellectibus item de eernendum sibi putauit in opere de Anima, quod sextus naturalium dicitur, parte quinta, cap. 5. Illas, inquam, omnes à sublunari intelligentia, quæ penes se cunctas habeat, in patibili nostro intellectu velut subiecto procreari, atque ita nos ad intelligendū permoueri. Quare perinde sese habere intelligentiam hæc ad intellectum nostrū, ac se habet sol ad aspectū. Vt enim Sol oculos nostros coloremque obiectos luce sua collustrans, & colores actu aspectabiles facit, & aspectum ad afficiendum excitat. Sic intelligentia illa, dum insita sibi luce phantasmata nostra illuminat, eaque sibi similia faciens, à materia & appendicibus illius repurgat; formas sanè actu intellectuales producit in intellectu patibili: non quod ex phantasia ad intellectum migrent; sed quod ex illarum consideratione disponatur intellectus, vt in eum

Auicenna & Algazelis.

A ab agente intelligentia emanet abstractio: sic antecedentes propositiones ad recipiendam conclusionem disponunt. Eadem fuit Algazelis sententia in 2. philosophiæ libro, tract. 5. cap. 1. & 3. intellectum agentem abstractam hanc intelligentiam esse.

Id verò nec Aristoteles somnauit vnquam; nec verè quisquā affirmauerit. apud Aristotelem aperitissima sunt illa verba, quæ aduersus Alexandrum quoque fuere proposita; agentem intellectum in anima nostra tanquam illius partem ac differentiam inesse oportere. Et illa, quæ non multo post subiunguntur; separatim hoc solum & immortale ac perpetuū esse; in eo potestatem actu priorem esse, egeretque ad operandū phantasia. Quomodo enim verum id sit de intellectu quous extrinsecus nobis adueniente: Cùm præter Dæmonium hunc & Angelicum, diuinus sit; & præter diuinū intelligentiæ reliquæ & intellectus quoque noster, quem impatibilem, separabilem, & sempiternum esse tradidit. Deinde ex 8. Physicæ & 11. Metaph. libris fuit semper omnibus peripateticis certum & exploratum nullas esse intelligentias mentesque separatas; præter eas, quæ globos cælestes vertunt. Tum verò quoniam certissimum est philosophorum illud omnium principium; Nihil operari posse, vbi non sit; si cunctorum hominum phantasmata collustrare atque ex cunctis intellectuales formas producere intellectus ille deberet; Eum omnibus ac singulis adesse oporteret: & quidem simul eodemque tempore; cùm vbique homines per totum mundum dispersi, simul & eodem tempore intelligant. At id nec fieri, nec mente concipi de intellectu, entis vllō creato potest: esseque vbi que solius Dei proprium est. Huc etiam argumentationes illæ omnes pertinent, quæ contra intellectus in hominibus omnibus unitatem circumferuntur; neque ad hanc ipsam intellectus agentis unitatem euertendam minimum habent momenti.

Porro quam ob causam putauit Marinus agentem intellectum animæ nostræ facultatem non esse, quoniam intellectus noster non omnia facit; potuisset quoque cōcludere neque dæmonicum aut angelicum esse. Neque enim hic, sed sola prima causa, vt entia sunt, facit omnia: vt autem intellectalia, cur non omnis vel etiam noster intellectus faciat? Ac rursum quæ ratio fuit illi negandi intellectum hunc esse diuinum, quod is cum phantasia non operetur, neque in illum obliuio cadat; debuisset item ad negandum esse intellectum illum angelicum, aut separatim inducere. Quod illi ipsi simplices intellectus sint, phantasia & obliuionis necis; atque vt philosopho placuit, mutationis omni expertes. Luminis autem & habitus comparatione abusus fuisse Marinum, ipsius orationis contextus interpretatio mox ostendet.

Hæc Auicennam & Algazelem non minus vrgent. Proprius tamen Auicennæ fuit error, in intelligentia illa naturalium formarum datricem asserenda. Sed eius confutatio ad alium spectat locum. Inde intellectuum item formarū datricem intelligentiam cogitauit. Quare quim ruinoso ac falso fundamento nititur hæc assertio, tam facile ruit ipsa quoque & falsa esse conuincitur. Quæ verò de intellectu huiusce lumine phantasmata

Intellectus

tasinata illustrante pronunciantur, pluribus post examinabuntur, temereque pronuntari demonstrabitur. Nunc illud intelligendum est, parum scienter dici abstractionem ab intelligentia illa in intellectum nostrum emanare. Nam aut hæc abstractio intelligentiæ illius est actio, aut intellectus nostri. Si est intelligentiæ separata; nec emanare in intellectum nostrum potest, nec nos per illam intelligimus. Siquidem actio immanens est, quæ in externum subiectum non transit, neque per eam intellectus alius abstrahit aut intelligit; nisi is, cuius illa est actio. Quæ si intellectus nostri sit, ab illo ipso nimirum promittitur, non in ipsu emanat aliunde. Et quoniam hæc intellectuum formarum abstractio propria esse creditur agentis intellectus functio; hic ipse fuerit intellectus agens, neque extrinseca opus erit & separata intelligentiæ. Verum hæc omnia procedente disputatione planius intelligentur.

6. Quia Themistius de intellectu prodiderit.

Iam verò Themistius in alijs pend omnibus nimirum concisus, in huiusce intellectus euoluenda natura longam omnino tenuit orationem. Intellectus noster, quem potestate & patientem vocamus, inquit ille, imperfectus est suapte natura apudque perfici. At nihil à seipso perficitur, sed ab alio singula; quod actu nimirum sit & perfectum. Ergo præter intellectum potestate alium ab eo diuersum esse oportet, qui agens sit & perficiens. Et ideo substantia sua tum separatus, impartibilis, impermixtus, immortalis; tum actu semper & perfectus; immò actus potestatis omnis expertus atque intellectus simul & intellectibilis, actusque semper intelligens. Eiusdem ferè dignitatis est intellectus noster potestate. Separatus inquam substantia, impermixtus corpori, impartibilis, immortalis. Sed quia conuictior anima, nobilitatis suæ dispensij non nihil fecit, potestatemque contraxit. Hunc prior ille intellectus mox adorsus excitat & excolit, atque in lucem quasi educit e tenebris, & potestate ad actum traducens & habitum. Arti planè per similes; quæ ex rudi saxo impolitoque are, quorum alterum domus, alterum statua est potestate, actu domum facit aut statuam: idonea scilicet materiæ artificiosam imponens formam. Aut etiam luminis; quod tum aspectui, tum coloribus actum præbet; ut ille aspicere, hic aspicere ipsa possint. Sic enim intellectus agens, tum intellectum potestate efficit actu, tum res potestate intellectibiles actu intellectibiles ipsi præparat. Res quippe materiales & ex sensibus collectas per se diiudicare nequit intellectus potestate; neque ex alijs in alias progredi, easque componere aut diuidere. Sed illas tanquam intellectuum thesaurus aut materia potius custodit. Accedente autem intellectu agente atque hanc intellectuum materiæ complectente, fit, ut vnus cum illo euadat. Hicque intellectus habitu vocatur; in quo notiones vniuersales & scientiæ sunt. Tuncque ex vno in aliud transire, componere, diuidere, & alia ex alijs circumspicere valet. Ita illorum alter omnia facit, alter omnia fit; habentque se perinde ac artifex & materia; si non extrinsecus incumbens materiæ; sed eam vniuersam

A peruadens ac permeans, artifex cogitetur. Quare duobus modis intellectus hi duo conuolantur. Altero ut forma & materia. Altero ut agens & patientis. Intellectus agens est ut agens & forma: agens, quatenus in actum promouet atque intellectibiles efficit formas: forma, quatenus est agens internum, quod patientis fit actus & forma. Esse autem agens internum, ex eo cognoscitur, quod intelligimus quando volumus; quod nequaquam fieret, si externum esset. Intellectus potestate est ut patientis & materia, quæ à priori illo ut agente & forma perficitur & formatur. Duobusque modis ex illis fit vnus: tum ut ex forma & materia: tum ut ex agente & patiente. Quippe intellectus intelligendo & multitudinem notionum habet velut materiam, easque pro suo libito versat & tractat: & notionum fabricator est, auctor, & princeps. Hinc non Deum, ut Theophrastus & Alexander; sed Deo maximè similem dixit esse intellectum agentem. Nam & Deus tum ipse res quodammodo est, tum rerum opifex.

C Porro suapte quidem natura prior est actus potestate, & imperfecto perfectum: in homine tamen intellectus potestate antecedit illum, qui actu dicitur; non secus ac splendor antecedit lucem ac Solem, & flores fructum: Siquidem in eodem potestas & aptitudo tempore prior est actu. Propterea intellectus agens, qui substantia est actus, natura sanè sua prior existit, & actu semper intelligens, perpetua & nunquam deficiente intellectu. Quia ex se actus indefinens est & indefessus, intellectus simul & intellectibile. Ut autem intellectui potestate adiungitur, quemadmodum interdum intelligit, interdum non intelligit; sic posterior eo est, qui potestate consideratur. Rursum in intellectu potestate diuisa sunt intellectibiles formæ, in eoque variæ tum artes, tum cognitiones & scientiæ: in agente idem; quoniam in hoc essentia & actus idem sunt. Quare neque componit aut diuidit, neque ex vno in aliud transit; sed formas omnes simul habet & promittit. Nam si ex vno in aliud transiret, nequaquam idem essent essentia & actus; quia manente essentia periret actio. Verum cum impartibiliter rerum omnium formas simul contineat; impartibiliter quoque & simul omnes aggreditur & intelligit. Secus in intellectu potestate euenit; quod formæ in eo partibiliter suscipiantur, dum illi sese adiungit intellectus agens: sicut qualitates naturales per se impartibiles in materia partibiles euadunt.

E Homo igitur ex huius duplicis intellectus conuolutione existit cuiusque esse est intellectus in actu, qui fit ex intellectu potestate ab agente actuato. Quocirca ut in omnibus, quæ ex actu & potestate constant, aliud est ipsa res, aliud essentia eius: sic aliud est homo, aliud hominis essentia. Homo sanè illud est ex duplici intellectu compositum; hominis autem essentia & forma solus est actus; solus inquam intellectus agens, qui solus est forma & formarum forma, atque agendi principium. Cætera omnia materiæ locum tenent. Quare si intelligit homo aut scribit; non id agit, ut ex intellectu potestate constat; sed ut intellectus agens est, unde omnis actio ducitur: Nec alia est patientis actio, quam ea, quæ agentis; sed partibilis facta. Cæter enim